

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Simonius

**Epistola Ducatus Megapolitani, Ad Principes & Dominos suos clementissimos:
hoc est, Gratiarum Actio Pro Beneficiis ... tum pro stabilito iudicio Provinciali:
cum pio & ardentи voto**

Rostochi[i], 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729969614>

Druck Freier  Zugang





5
Simonius, J., epistola ducatus Megapolitani ad principes et dominos
suos clementissimos, h. e. gratiarum actio pro beneficiis, quae Deus
per celsitudines ipsorum ducatui huic Megapolitano, praestitit, tum
aliis, tum pro stabilito judicio Provinciali. Adjecta sunt ejusdem
materiae alia quoque gratulatoria, suis quaeque inscripta patroni.
Rost. 1623. —

M. 18.

M. 1188⁸

EPISTOLA
DUCATUS
MEGAPOLITANI,
AD
Principes & Dominos suos
clementissimos:

hoc est,
GRATIARUM ACTIO PRO BENEFICIIS,
quæ Deus per Celsitudines ipsorum Ducatui huic Me-
gapolitano præstítit, tum alijs, tum pro stabilito
judicio Provinciali: cum pio & ardenti
yoto:

SCRIPTA

JOANNE SIMONIO, Rhetorices
in Academia Rostochiensi P. P.

Adiecta sunt



ROSTOCHI

Exeditabat JOACHIMUS PEDANUS,

ANNO M. DC. XXIII.

REVERENDISSIMI,
Illustrissimorum & Præcelsissimorum
Principum ac Dominorum,
Dn. ADOLPHI FRITZ & Dn. JOANNIS ALBERTI,
DERICI, Coadjutoris Ratzeburg.
Fratrum, Ducum Megapolitanorum, Principum ve-
tustæ gentis Henetæ, Comitum Schwerini, terrarum
Rostochij & Stargardij Dominorum,
S T E R N B E R G A M,
AD
Solemnem incluti Judicij Provincialis inaugurationem;
LEGATIS,
Generosis, Nobilissimis, Magnificis CL. &
amplissimis Viris,
Dn. MAURITIO v. Marvitz & Dn. LAUREN-
aulæ Schwerinensis Mar-
schallo,
Dn. GEORGIO LINSTOVIO,
Consiliarijs Celsitudinum ipsorum primarijs,
Dominis Patronis meis officiosè colendis,
S. D.

 Enerosi, Nobilissimi, Magnifici,
CL. atq; amplissimi viri, Domini Mæcenates colendi:
Ordinem Politicum, quantuscunq; est, qui certè ma-
ximus est, non minus atq; universum hoc theatrum
natura rerum, admirabili varietate & pulcritudine distinctum, per
se clarissimum atq; omni exceptione majus sui ex Deo ortus dicere
testimonium: tamen evidens est, ut id, nisi Diagoras, aut quovis
atheo pejor, nemo negare ausit. Sunt autem inter præcipuas or-
dini:

dinis Politici partes Judicia legitima, in quibus auditō utraq; reo
& exploratē cognita caussae veritatis à legitimo Magistratu jus dicitur. Garrit quidem apud Platonem Hippias, Legem esse Tyrannum, cogentem multa facere contra naturam. Nos vero statuimus, Hippiam hujusq; similes esse organa Diaboli, Politiciq; ordinis æternos hostes: certoque persuasum habemus, non solum Leges, cum recta ratione congruentes, esse à natura; sed honestissimam quoq; esse atq; plenissimam humanitatis disputationem forensem: tūm quod hic non omnia dijudicantur vi, sicut inter bellatas, sed oratione & sapientia dirimuntur controversiae; id quod dignissimum est hominis natura: tūm, quod in foro honestæ rationes conferuntur, veritas omniumq; virtutum & vitiorum ratio inquiritur, & justitia explicatur; quo ipso nihil præstans, nihil majus: tūm deniq; quod litigatōr velut cedit de re sua, ejusq; arbitriū Judicii, i. legi permittit; qua obedientia ad tranquillitatē vitæ communis nihil prius, nihil utilius. Nec verò movetur insulfis Celsi Porphyrij, Juliani Apostatae, aliorumq; id genus impurissimorum hominum subsannationibus, quibus dictum Christi: si quis percusserit te in dexteram maxillam, obverte ei & alteram: impiè exceperunt, illudq; publicis scriptis exagitaverunt. Nec enim gesticulationem externam mandat Christus; sed odia, & extintiū cordis recessibus pullulanter vindictæ cupiditatem, quam homo privatus, neglecto judiciorum & legum divinitus sancto ordine, exercet, severissimè prohibet. Est igitur hæc oratio Servatoris nostri, non consilium; verum quasi murus quidam aheneus, quo Filius Dei munit Magistratus & judiciorum auctoritatem. Sed, quemadmodum pulcherrimum hunc naturæ ordinem raro & negligenter aspicimus & consideramus: sic paucissimi cogitant. Deum esse auctorem legum ac judiciorum; pauciores, qua ratione judicium constitui tum conservari debeant. Quò majori æternarum lraudum præconio mihi digni videntur Reverendissimus, Illustrissimi & Præcelissimi Principes & Domini, Dn. ADOLPHUS FRIDERICUS, & Dn. JOANNES ALBERTUS, fratres, Duces Megapolitani, Coadjutor Episcopæ Ratzeburgensis, Principes vetustæ gentis Heneræ, Comites Schwerini, terrarum Rostochij & Stargardij Domini, Domini nostri clementissimi, qui hoc tempore, de quo illud Claudiani verè dici potest:

A 2

Quis

Quis furor, ò cives, quæ tanta licentia ferri?
Gentibus invisis vestrum præbere cruentum?
Cumq; superba foret Babylon spolianda trophæis,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu, quantum terræ potuit pelagiq; parari
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!

hac, inquam, tempestate, quâ una Euripi, Notuq; ruunt, creberq; procel-
lis Africis, & vastos tollunt ad sidera fluctus, duo maximè divina, & ad
omnem postfitatem gratissimis mentibus deprædicanda opera, ad
Religionis & Judicij provincialis stabilitatem conducentia, divi-
nitus perfecerunt. Horum posterius ego commendare carmine
quodam, cui Epistola titulum indidi, conatus fui: measq; has lu-
cubrations sub V.V.V. G.G. & M, quæ præcipua pars inauguran-
di Sternbergæ judicij fuerunt, splendidissimo nomine, in vulgus
dare. Hunc meum qualemcunq; laborem ut V.V.V. G.G. & M. eo,
quo quæ grata esse solent, animo benigno excipiant, obnixè oro.
Deum, qui serenissimum Ducum Megapolitanorum stemma jam
annos ferè bis mille certa sancti conjugij lege per clarissimos He-
roas, continua serie sibi succedentes, inter tot regiarum familiarum
interitus, hucusq; propagavit, ardentibus votis precor, ut præcel-
lissimorum etiam nostrorum Principum, Patriæ patrum, conju-
gio in propagandis Heroibus, Megopolitanas terras gubernaturis,
quæ paterna est ipsius benignitas, benedicat: ut sub C.C. ipsorum
natis, & natorum natis & qui nascentur ab illis, amplissimæ hæ di-
tiones in pace floreant, & quām maximè sint beatæ, donec tuba ul-
tima decretorium illum diem accenderit: idemq; clementissimus
Pater O.C. ipsorum, prælustrissimisq; conjugibus adeoq; toti re-
gali Megopolitanæ domui hunc ineuntem annum cum futuris cæ-
teris omnibus quām felicissimum, Ecclesiæ Dei & Scholis quām
maximè salutarem, toti huic Ducatu hujusq; civibus & omnibus
& singulis, V.V.Vq; G.G. & M. quām prosperrimum esse vélit, ju-
beat. B.B.B. valete Viri Generosi, nobilissimi, Magnifici, CL. atq;
amplissimi, Rostochia. d. 2. Januarij 1623.

V. V. V.

G. G. & M.

Studioſissimus

JOANNES SIMONIUS M.

Rhet. in Academia Megapolitana P.P.

EPISTOLA
DUCATUS
MEGAPOLITANI,

A D

Principes & Dominos suos
clementissimos.



*Ilia si qua potest Genitori optare salu-
tem,*

*Hanc vobis Tellus Megalaburgæ
precor,*

*Magnanimi Heroes, Regumq; Ducumq; propago,
Quos Herulum atq; ingens Teutona terra tulit:*

Nobile par Fratrum, series quos longa Parentum

Dat mibi Duætores & Patriæ esse Patres,

*Dux & ADOLPH-FRIDERICE, & JAN-AL-
BERTE, decoris*

Quos virtus factis ditat & ornat ovans;

Megalaburga precor Terra atq; exopto salutem;

Quam Pietas meruit vestraq; cura, Patres,

Filia ego: Genitrix quæ sum, si stemmata vestra,

Quæis Patriam dederim, dinumerare velim;

A 3

Jam

Fama vel ab Anthyrio, paulo vè minoribus annis,
Maxima quis repetat stemmata vestra Duce.
Sed, segnata vocer, seu mater, duplice vobis
Devinctam vinclo me reor, & fateor.
Quòd mage latitas animus mihi suggestit: utq;
In sera maneat posteritate, precor.
Tanta est vestra, Duce, virtus! est tanta pro-
batis
In me promeritis maxima vestra fides!
Quantus in omnigenis nunc partibus astuet ausis
Mars diris, quis non cernit & illacrumat?
Tām sevum furit ille, imo de gurgite Averni,
Cerberus, extractus! tanta mala ille vomit!
Dum omnes TIBRIS opes, totum & TAGUS agge-
rat aurum,
In Christi ut populum perdita turba ruat.
Horresco referens: quas Mars non diruit urbes
His annis? quos non est populatus agros?
Quae non exus sit splendentia tecta malignis
Ignibus, insanus depopulator opum?
Quae non extincto vastata est vinea fructu?
Pabula qua fato non periēre pari?
Nec parsum arboribus: facies est omnibus una
Mœstitia ac luctus vitibus atq; oleæ.
Qui verò non casi homines? incensaq; templo?
Quis non est aris milite pulsis bonos?

Qua

Quæ non ad stuprum raptæ est cum uxore puellæ?
Et pejora fuit morte coacta pati?
Mactati juvenes: execti matribus ipsi
Infantes: cumq; his occubuerent senes.
Ofatum infandum! Sed quod sum tuta dolenda
At tanta rabie, Q' quod modò pace fruor:
Gratia, CHRISTE, tua est prima: hinc est gratia
magna

Vestra, Duce s, quorum vivo patrocinio.
O donum immensum! quid pace salubrius orbis?
Nonnè omnis Pax est fons & origo boni?
Pace ager excolitur: vernant rura omnia Pacis
Tempore: pace vigint pascua, taurus, oves.
Pace aurum crescit: stant urbes, oppida & arces,
Et varijs formis artificum æra calent.
Pace chelys, septem sociatis congrua nervis,
Dulce melos, doct' tacta manu, resonat.
Pace Scholæ, Leges, Respublica, conjugiumq;
Curia, templa, forum, Religioq; vigent.
Tanta bona ex vobis, Patriæ Patresq; Ducesq;
Sunt mihi, vestra operâ quod modò pace fruor!
Utg; alia haut repetam, quæ vobis non - periturum,
O Patriæ Patres, sunt paritura decus:
Splendida carentis quis non ad cornua Luna.
Affigat, quod nunc ritè parastis opus?
Justitia certam quod sedem, quodq; palastram
Certo fixisti, me monitricē, logo,

De-

Desine versutum crisperare calumnia nasum,
Si, quod nunc dixi, dixerim cœu genitrix.
Non fuit ante quidem juris Themidosq; profanus
Iesus: non dubio tramite cursus erat.
Cultus justitia hic dius fuit atq; severus,
Permixtus grata cum bonitate tamen.
Qualem sancta suis præscripsit pagina: talis
Juris semper apud me quoq; cultus erat:
Cultus, quem, vere affirmo, suspexit **S** ALBIS,
RHENUSq;, atq; **I**STER, cum **V**IADROq; **N**ICER,
Obstabant quadam, quasi fuerint vè Reorum,
Vel culpa alterius; noverit ipse Dens.
Visum etiam fuit, ut stabili sanctum atq; verendum
Fus fixum atq; uno posset id esse loco.
Qualis erat quondam sedes certa **A**REOPAGI:
Quale fuit **P**OPULI **J**udiciumq; **D**EI.
Hac movit vos cura, Duces Patriaq; Patresq;,
Erigere in melius qua modo lapja forent.
Nec mora: delectis ex me vestrisq; dedistis,
Qui grave tractarent hoc pietatis opus.
Res bene succedit: quanquam hic nec defuit Ate,
Semper qua magnis rebus obesse solet.
Hinc lectus sorte est Mons stellæ: utq; omina rebus
Sapè insunt, Monti huic quisnam ea inesse
neget?

Arx Phidiae celsis fuit olim sedibus altè
Fixa, ut spectari posset ubiq; procul.

Justitia

Justitia arx P H I D I A E s t : c e l s o vult ipsa locata

Esse loco, celsas atq; habitare domos :

Nec vult sub modium poni: vult omnibus una

Lucere, E v i r e s spargere ubiq; suas.

Ultq; , licet cœlum feriant, Marpesia cautes

Altior est cunctis flumibus ipsa tamen :

Sic Themis alma malis est altior omnibus una :

Non curat ventos, nec fera monstra maris.

Stella quoq; ut f o r i s orta suos dimittit in orbem

Flagrantes radios innocuosq; simul :

Luce sua obliuistrans homines justosq; malosq; :

Ne c ui quam aspectus inuidet ipsa suos :

Haut aliter Themis alma aqua est reprobisq; bo-
nisq;

Quicunq; hi fuerint, omnibus aqua patet.

Sed reprobis flagrans crux ipsa est : ipsa mali-
gnos

Ense, rota, flammis, funere, funerapit.

Ast justis merces pulcra est splendorq; benignus,

Eximijs factis præmia digna ferens.

Quid multis ? vastum veluti qui navigat aquor.

Approperans terræ, cœca ubi nox fuerit,

Si P H A R U s observet sublimia lumina, Lunæ

Æmula ; salvus erit cum trabe, cum socijs:

Verum, ea si somno vicitus, vinovè sepultus

Negligat ; in præceps seij; suosq; dabit.

B

Sig

Sic Themis optata est Pharos his, qui iusta capes-
sunt,

Quæ cunctis uno dictitat ore Themis.

His vita est, his magna salus, his publica laus est:

At reliquis probrum est, nex, fera Parca, eadem.
Quam bene convenient Stellati nomina Montis

Huic operi: Patriæ cernite, quo, Patres.

Restabat, pietate, catâ prudentia, & omni

Virtute ornati ut conspicuiq; viri
Additi huic essent, qui factis laudeq; digna

Mente serenarent Montis acumen: & hoc
Evénit recte. primus GUNTHERBERGIVS ille

Lectus: ei junctus Luhia desq; fuit:
Ambo nobilitate, animi donisq; vigentes,

Ut statione Rei præsit uterq; sua.
Consilium his junctum est: ab HAGEN, clarissimus

arte,

Cordatus, prudens, eloquioq; valens:
WASMUNDUSQUE Petrus sacrati gloria juris;

Et, nostrum ornamen nobile, PLESSIADES:
Et ZINZERLINGIUS, præstans probitate, bonisq;

Doctrinae, & priscis dotibus ingenij.
Quos fixos voluit vestra, o Patresq; Ducesq;

Cura hujus tanti judicij esse Deos:
Qui, quocunq; die fas sit jus dicere, fari,

Dent, dicant, tribuant jura cuiq; reo.

AET,

*Ait, ubi Sol quartas partes adduxerit anni,
Junxit vestra alios his quoq; cura, Duceſ.
Quattuor ex certa legiftis nobilitate,
Auxilio qua me consilioq; juvat,
Præstantes magnosq; homines, quos Consiliarios
Nomino TERRESTRES; si ferat id Latium;
Tum, quem dat celebris VARNEA ACADEMIA:*

*Urbs quos
Incluta ROSTOCHIUM WISMARIUMQUE,
viros*

*Egregios; Œ ſede Ducis GUSTROVIA fulgens:
Junxit vestra alij hos quoq; cura, Duceſ:
Qui juſſi properent Sternbergam, tempora Phœbus
Bis bina impleto ut limite certa notat.
Actum Judicium ſolemni more celebrent,
Communiq; graves reſ ratione putent.
Nam velut attritus chalybis ſuccenditur aér,
Inde q; ſuſcipitur fomite flamma nitens:
Sic, ubi conſilia in medium, pietate coruſci,
Docti, prudentes ſat bene cocta ferunt;
Ipſa licet fuerint contraria; fit tamen, ipſo hoc
Attritu ut rebus ſplendida lux veniat.
Sed cum judicium res fortunæq; reorūn,
Fama, decus, corpus, vita, ſalus ſubeant;
Sapè etiam cauſa verborum pondere magno
Vertantur: ſcriptis ſapè rotetur bonos:*

B 2

Nec

Nec non occurrant permulta negotia sāpē,
In quorum cursu publicares agitur:
Provida vestra, Duces, prudentia junxit & illos,
Summa dicta fide & qui omnia facta notent.
Quos inter PRIMI Duo sunt, quos, voce notarum
Adjecta, nōn lingua Pelasga vocat.
Hinc a SECRETIS Duo sunt: hinc QUATTUOR,
agmen
Qui hoc claudunt, quos nunc dicimus A M A-
NIBUS.

Nec tamen hic finis: nam, quid dicam, memorem vē
Insignes multa cognitione viros,
Quēs juris studium excellens, probitasq; perennes
Doctura & frondes implicuit capiti?
SEPTEM hi sunt: quos, cum current res, acta, reorum,
Procuratores Fama vocare solet.
Horum Primus qui est, illum, clementia, Fisco;
Privatis reliquos, vestra praeesse jubet.
Hos prater, plures sunt clari, magnifici q;,
Doctorum eximijs dotibus aucti, alij:
Quēs placet afflictis succurrere, consilioq;
Res, timidosq; limbros ritē juvare suo.
O augustum iudicium hoc, Patresq; Dicesq;!
Et dignum seclis innumerabilibus!
Iamq; N O V E M B E R erat, cum lux duodena veniret
Mensis, tanti operis principio orta dies:

Con-

Continuò PROCERES DELECTI, iudicij quæcūs

Cura futura esset, doctiloquiq; Viri,

Justitia & sancti juris, Legumq; periti, &

Quacunq; Historia pagina narrat anus;

Conveniunt Sternbergæ, octavum ubi linea Solem;

Signarat, latitatemq; sancta petunt.

Sternbergensis adest etiam plebs, atq; Senatus,

Et quicunq; illud suspiciebat opus.

Mox, I e, voce, D E N M LAUDAMUS, publicus
infit

Præcentor: populus, teq; fatemur, ait.

Organaq; interiniscetur, mulcentia mentes:

Additur & vario carmine dulce melos;

Quale solent doctis concentibus edere Musæ,

Cum celebrant summi facta stupenda Dei.

Et jam desierat cantus: sanctumq; anabathrum.

Conscendit, jussus principe voce, sacer

Orator, MICHAEL GÜTZMERUS, vir gravitate

Præcellens, docto clarus & eloquio.

Hic, ubi flexanimis precibus cœlos adijsset,

Multa Deum pro operis multa salute rogans;

Adduxit M O S E N repetita in lege jubentem,

Judicium in portis ordinet ut Populus.

Mellifluoq; suo jussum hunc sermone sequutus,

Terna, ait, hoc nobis sunt meditanda die:

B 3.

Non

Non nasci ex terris, ceu fungos, judicio qui
Præsunt, sed donum hos esse Dei Domini.
Nec jura esse uni dicenda; patere ea debent,
Inquit, pauperibus divitibusq; simul:
Deniq; quæ illorum sint partes, sancta verendi
Quicis sint à Jova credita jura fori.
Atq; bac ornatè tractans pius ibat in omnes
Motus, quos animi prodere cura potest.
Finierat Michaël, divina præco salutis:
Factaq; sunt iterum publica vota Deo.
Exemplò illustre est ad DICASTERION itam,
Vestra opera instructum, pectora dia, Duces.
Atq; hic à Vobis, Regum præclara propago,
Adsunt LEGATI, magnifici q; viri, (tus
Quos genus & pro avum magnorum & propria vir-
Clarat, Marvicius, Linstovius, Stephanus.
Ex his MARVICIUS, generosi stemmatis heres,
Nestoreo doctus fundere verba sona,
Principiò meritâ omnipotenti laude peracta,
Illum ipsum Themidi dedicat ipse locum.
Ac veluti quondam Salomon Rex, Davide natus:
Cum tibi sacraret maxima templa, Deus;
In gemitus omnesq; preces, conatibus imis,
Descendit, templo illi omnia fausta vovens:
Sic quoq; Marvicius veneratus numen, ab isto
Huic Themidos templo maxima queq; vovet.

Exci-

Excipit hunc STEPHANI LAURENTIUS; ora
diserta

Cui Deus, & virtus omnia summa dedit:
Nec minor in votis, precibusq; & fausta precando,
Commendatq; Dei vestraq; facta, Duces.
Hinc vestro, quem quisq; sibi se legerat, amplam
Judicij in sedem, nomine, ut erg; locat:
Sancta monens, gravia imminiscens, & dira mina-

tus,
Si quis judicium hoc, non Domini esse putet,
Verum hominis, stulteq; suum: mora nulla, sacrata
Obstringit fidei se ordine quisq; suo.
Sicq; ubi commonitus solemnia, teste febora—
Dixerat, officium quisq; suum subiit.

CHRISTE Deus, cui Judicium Pater omn—
potenter

Contulit; unde fluit judicium omne bonum:
Tu da, judicium hoc templum sit ut integratis,
Sit, pietate calens, araq; justitiae:
Mensura rerum recte & venerabile sacrum,
Fonsq; boni largo flumine consilij:
Quod certus vera clypeus sit relligionis,
Terrori reprobis, praesidioq; honis.
Quod pravos perimat, vulpes ut amygdala amara
Gustata & subita morte necare solent.

Cum-

Cum primis cui sit magna tua Gloria curæ:
Nostra ipsum ut rursus gloria sit Patriæ:
Donec summa dies perituro illuceat orbi,
Teq; ad judicium proferat, alme, tuum.
Sed quorsum ab ripior Genitrix, seu Filia vestra
Magnanimi Heroës ô, Patriæq; Patres!
Tantis latitijs incedo, vestra ubi mecum,
Facto isto hoc mihi nunc præstita, facta puto.
Mirentur THEBAS alij, binarem vè CORIN-
THIUM,
Moles vè insanæ, Nile profunde, tuas:
Aut CURRUS incedentes solo alite vento:
Mira Florentini vel PRATOLINA Ducas.
Maius OPUS VESTRUM Hoc: liceat quo
ut pace fruisci
Perpetuum; hac humili voce fatigo Deum.
Idem Egos vos ditet, florentes pace beata,
Donis fortuna, corporis, atq; animi:
Et faciat seros vos hinc vidisse nepotes:
His, Patriæ Patres, atq; valete, Ducces.



Sequuntur nunc ejusdem materiæ car-
mina; suis Patronis quæq; inscripta.

REVE-

REVERENDO,

Generoso, magnifico, nobilissimoq; Viro,

DN. MATTHIÆ v. Guntersberg
Serenissimorum Ducum Megapolitano-
rum Consiliario intimo, Provincialisq; Judicij Præsidi
primo, Thesaurario Ecclesiæ Cathedralis Caminensis, in
Reichenbach / Gakkenwalde & Busler/
hereditatio,

Domino & Patrono meo colendo.

Si qua fides quondam prisca fuit addita seculo,
 Quod Dodonæo quercus nemore esse loquaces
 Finxit, & ambiguis incerta oracula dedisse
 Credidit: hoc certè Stellatum tempore montem
 Quis non crediderit verè factum esse sonorum?

Herulea dum regali de stirpe oriundi,
 Magnanimi Heroes, illud par nobile fratrum,
 Dux A D O L P H FRIDERICUS, JANq; ALBERTUS eundem
 Esse volunt sanctam sedem justiq; boniq;?
 Olim, cum recutitorum fraude atq; malignis
 Puncturis Domini panis fudisse liquorem
 Sanguineum visus fuit; hac ætate sonorus
 Fortè fuit mons hic stellatus; quippe, quod illas
 Crassa supersticio voces animaret inanes.
 Nulla supersticio hic nunc est, nil fictum & inane,
 Quale vel anfractu in montis persæpè jocosa
 Vox repetita solet memorare; aut quale videmus
 Sæpè oculos hominum perstringere, vera putantes
 Quæ formare potest non raro ars præstigiatrix.
 Nil tale hic, nil hic fictum, nil falsum & inane.
 Tu sanctæ Themidos STERNBERGA, habitatio facta es:
 Tu justi templum: tu condæ & proma salutis
 Civilis: tu veri index, falsiq; magistra.

C

Cedite

Cedite vaniloquæ quercus: Hammonia templo
Cedite: Tropionij antrum, vocalesq; columbae
Cedite: sunt sancta hic, sunt hic oracula vera,
Quid justum & rectum, quid honestum, edentia, quid non:
Quo pietas, quo sit virtus, quo gloria honore
Mactanda, aut pœnis. quis sit mulctanda maligna
Improbitas: Themidos sunt hæc oracula vera.

Vah! decus immensum, & mirè decus admirandum!
Stella fit oraculum; mons fit vocalis: utrumq;
Te, GUNTER SBERG I generose atq; inclute, certis
Disponente modis: tibi quos Lex, regula justi,
Jampridem iusculpsit, quoſq; experientia pridem.
Te docuit, rerum quæ est una & sola magistra:
Dum tibi commendat spartam hanc celsissimus Heros
ADOLH-FRIDRICUS; decus immortale verenda
Justitiae; nostri scutum regale Lycei.

Salve, justitiae præses, salve inclute, salve
MATTHIA! Regum Heruleum tibi stemmate nati
Fratres, Heroum par nobile, lumine blando
Applaudunt: tibi surgit honos, celsissima quæ se
Megalaburgiaca extendit: tibi mania, sylva,
Ruraq; gratantur: tibi non moritura corollæ
Varnus oloris amans & Cygni munera neſtunt!

CHRISTE Deus, cujus manibus stant regna, ducatus,
Omneq; judicium: tu nostros, magne, serenos,
CHRISTE, Duces dextra invicta & felice tuere:
Tu defende tuos: tu, quod nunc incipit, alnum.,
Judicium rege justitia, tege numine sancto,
Consilijq; boni prudenti afflamine dona:
Tum; pia cura Ducum voluit quos esse; ministris,
Condisq; & Promis Themidos, sis, quæso, benignus:
Et GUNTER SBERG IO benè dic, benè facq; perennè!

f.

JOANNES SIMONIUS M.

Rhet. in Academia Megapol. P.P.

Steinbergia 16. Nob. 1622.

Genes

II.

Generoso, Magnifico, nobilissimoq; viro,
DN. PASCHASIO von der Lühe/
Reverendissimi, Illustrissimi & Præcelsissimi
Principis & Domini, Dn. JOAN. ALBERTI,
Coadjutoris Ratzburgensis, Ducis Megapolitani, &c. Con-
filiario, inclusi Provincialis judicij Megapolitani
Præfidi,

Demino & Macenati meo colendo.

DUHI ADE, cui maternum genus atq; paternum
 incendit Virtus longos servata per annos;
 Quodq; tuo illustras decore & præstantibus ausis:
 JAN. DUCIS-ALBERTI; Dominum quem.

Vandala honorat

Tellus, cui surgit Nebulae & nostri accola Varni,
 Consilium: Et tibi Jova Deus, tam Principe celo
 Suppedante, dedit, præclari Præses ut elles
 Alter judicij: quo non præstantius orbe hoc
 Megalaburgiaco, aut quid majus: religiore.
 Excipio: fulget: nec enim mons Siculus, olim
 Incensus, rutilis vicina per æquora flammis
 Sparsis, tam illustri nituit splendore, ut hoc ipsum,
 Quod pia cura Ducum pulcro conamine, magnis
 Sumtibus, herœa instaurat virtute, verendum
 Judicinm. celebris Mausoli cippus ut olim
 Extiterit, longè hic ardor jus fasq; tuendi
 Exuperat, centena ut Mausolea fuissent.
 Non etenim est Hominis: Domini est, vitamq; necemq;
 Qui dextra fert; qui injustos ad tartara trudit;
 Hujus judicium est, ô res palmaria, & ampla,
 JOVÆ implere vices in justi lance regenda
 Atq; æqui atq; boni! ô te faustum ac nobile sanguen

C.

LUIHIA.

LUHIADUM, PASCHASI! an non fers gaudia praete,
Cum tibi defertur non contemnda Voluptas,
Atq; etiam votis sapiens quam tu omnibus optes?
Erigere afflitos, pressis jus dicere, famam
Conservare bonis, insontibus esse salutis.
Terrori nocuis, scelus omne nefasq; malignum.
Aut mulcta, aut capite, aut vinculis cohibere vel antro.
An, quia res tantas vigilem patrare laboris,
Invidiæq; est immensa, plenumq; pericli,
Multa animo volvis? teq; anxia cura fatigat?
Recta ista est tua cura, ast curam viribus hisce.
Scis, non posse exanclari, est hæc, propria JOVÆ.
Est ratio hæc: si tu commissa negocia curas,
Ut curet Deus ipse, tua quæ mente recurrent,
Curas, & finem optatum his imperriat; aut ut
Nonnunquam assiduas juvet intermittere curas,
Et requiem duro interdum miscere labori:
Præcipit has natura vices: nec semper oberrant,
Collectum flores per roscida prata, Napeæ,
Nec tauros semper tenet arctos curvus arator.
Hæc tu, LUHIADÆ, meditaberis. Ergo libenter
Ab nimijs animum due curis: cede vocanti
Et pare JOVÆ: augusti sententia de te:
Quæ est J A N - ALBERTI, hanc sequere: hanc amplectere latus.
Nos cœlo interea flagrantia vota feremus
Pro te: qui tibi, LUHIADÆ, concessit honores
Tantos, idem ut te firmet, teq; explear annis;
Atq; omni faciat semper te ex parte beatum.
Sæpè tuum nomen reperentes audiet Arnus,
Vicinumq; echo mare respondebit amœnæ.

f.

JOANNES SIMONIUS M.
Rostochij 7. Apr. 1522.

Magni-

III.

Magnifico, CL. consultissimo, amplissimoque
Viro,

DN. CHRISTPHORO vom Hagen/

Jurisconsulto excellenti,

Summi Serenissimorum Ducum Mega-
politanorum Dicasterij assessori & Consiliario
primario,

Domino Mæcenati meo colendo.

 Actenus exili stellarum in monte micabat:
Nec Sol, nec Phœbe, nec bona stellæ
Jovis.

Quamprimum hoc transfert Dux ADOLPHUS
FRIDERICUS

Janus & ALBERTUS nobile judicium
Cujus, tu illustris, clarissime CHRISTOPHORE, es
pars:

Sol lucem; noctem Cornigera irradiat;
Ibant sideribus gratatum sidera: macte
HAGENI! tanties qui quoq; causa Boni.

f.

JOANNES SIMONIUS M.
CL.
C3

IV.

CL. VIRO,
DN. PETRO VVASMUND,
Jurisconsulto eximio.

Summi Serenissimorum Ducum Megapolensis Dicasterij assessori & Consiliario.

Amico meo colendo.

Roscida, ceu, pleno cū splendet, Cynthia, cornu,
Eximum coeli decus est, superatq; minores
Orbes luce sua; haut aliter **T H E M I S** aurea
mundi
Est ornementum; nec tam præstabile quicquam
Rebus in humanis, quas priva aut publica cura
Sustineat, quam justitia est, persplendida virtus.
Improba non hæc est astutia, pectine cuius
Subtili texas, quibus haut. benè pectora cauta
Retibus illaquees: non est malefusa Tyrannis:
Non commentum hominum: genuina est omnipotentis
Filia; qui solus justus vult omnia sancta
Lance gubernari Themidos, seu lucida cœlum
Lumina quā circum sua fert, seu magna patentes
Quā tellus campos extendit, justitiæ nil
Hic vult esse expers. ò regna urbesq; beatas,
Divino quibus hæc concessa est munere diva!
Etvos, Heruleum sanguen, duo lumina nostri
Orbis, regia stirps, quibus hæc Meglaburgica parent,
A D O L P H - F R I D R I C H , & J A N - A L B E R T E , incluta proles
Magnorum Heroum, maeti! vos justitiæ ardor,

In.

In pejus; vel strande Eridos culpavè ruentis;
In tantas animat, tantisq; Heroibus aptas,
Curas, quas nunc sanctum in D I C A S T E R I O N o m n e s
Regali studio convertitis atq; labore.
Macti! nulla dies veltrum unquam huic eximet ævo
Tām sanctum pietatis opus, dum cœlum erit ingens.
Hujus te partem, Doctorum gloria, P E T R I
W A S M U N D E, eximius Princeps, celissimus heros,
J A N - ille A L B E R T U S, nostri tutela Lycéi,
Cum velit esse; ac te his ipsis, qui jura ministrent,
Qui dicant, quiq; observent, adscripserit, illi
Justitiæ tām præclaro ordini; ubi incluta vobis
Virtutum omnigenum largè est patefacta palæstra;
Quis tibi non faveat? quis non gratetur? en ipsa,
Quæ tibi Docturā ornarunt caput, ardua rerum
Cognitio, justi studium, mens provida, recti
Intrepidus fervor, linguae facundia cultæ,
En tibi sunt præstò: calathis tibi lilia plenis
Insternunt, istoq; tuo lærantur honore:
Et tibi nobiscum felicia quæq; precantur.
Tu fruere his, W A S M U N D E, diu, dum sidera nocte
Fulgebunt rutilâ, fuerit dum florida terra:
Ettua se seros virtus extendat in annos!

f.

JOANNES SIMONIUS M.
Rostochij 6. Augu-
sti 1622.

Orna

V.

Ornatissimo Viro,
Dn. VALENTINO STRELENIO,
summi Serenissimorum Ducum MEGA-
POLENSIUM Dicasterij Prononotario primo,
& Registratori, affini & amico meo
colendo.



Ulm lepidæ, nostri quæ littora sapius Arni
Suavirepis hilarant carminibus,

CHARITES

STRELÉNIUM, maculum donis virtuteq;, primum
Audissent charto-judicij phylacem;
Heruleo quod par fratrum de stemmate creti
Fixerunt Stelle in vertice judicium:
ByzantI, ajebant, fuit olim gloria magna,
Si cuiquam Archivi credita cura foret.
Est hic & Regum soboles, est curia Regum:
STRELÉNI, obscura hanc & tua laus fuerit!

f.

JOANNES SIMONIUS M.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729969614/phys_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729969614/phys_0027)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn729969614/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729969614/phys_0028)

DFG


I I.

Generoso, Magnifico, n

DN. PASCHASIO
 Reverendissimi, Illustris
 simi Principis & Domini, Dn. J.
 Coadjutoris Ratzeburgensis, Dicis
 filiarie, inclusi Provincialis ju
 Præfidi,

Demino & Mæcenati
DUHI ADE, cui maternu
 incendit Virtus longos se
 Quodq[ue] tuo illustras deco
JAN. DUCIS - ALB

Vandala
 Tellus, cui surgit Nebulae & nostri ac
 Consilium: Et tibi Jova Deus, tam P
 Suppeditante, dedit, præclaris Præses.
 Alter judicij quo non præstantius orb
 Megalaburgiaco, aut quid majus: re
 Excipio: fulget: nec enim mons Sicul
 incensus, rutilis vicina per æquora fla
 Sparsis, tam illustri nituit splendore, u
 Quod pia cura Ducum pulcro conamir
 Sumtibus, herœa instaurat virtute, ve
 Judicinm. celebris Mausoli cippus
 Extiterit, longè hic ardor jus fasq;
 Exuperat, centena ut Mausolæ fuisse
 Non etenim est Hominis: Domini est,
 Qui dextra fert; qui injustos ad tartara
 Hujus judicium est, ô res palmaria, &
JOVÆ implere vices in justi lance re
 Atq[ue] æqui atq[ue] boni! ô te faustum ac n



LUHIA-